


3/2001

KALENDIS NOVEMBRIBUS

MMI



RVMOR VARIVS



TOMVS 24

FASC. 139

IMPRESSUM

RVMOR VARIVS a SOCIETATE LATINA HELVETICA, in aedibus, quibus nomen EDITIONS DU LAC est, editur.

RVMOR VARIVS sexies in singulos annos editur.

Editio: CCC

Pretium subnotationis (annuum):

In Helvetia CHF 27.-

In ceteris Europae terris CHF 32.-

In terris trans maria sitis US\$ 30.-

Singula specimina qui rogaverit, gratis accipiet.

Collegium redactorum:

Ulrich (Udalricus) Aeschlimann, lic. phil. I

Dr. med. W.F. Ebel (AMICVS)

Estelle (Stella) Gitta

Barbara Maier

Martinus Meier

Daniel Weissmann

Impressum et dispositionem rerum legentibus publicandarum curat: Estelle Gitta

Typographeum: Gasser Graphische Unternehmung AG, Rapperswil

RV mittit: Christina Meier-Portner

Epistulae, mandata mittenda sunt ad domum

editoriam: RVMOR VARIVS,

C/o EDITIONS DU LAC

Estelle Gitta

Ch. François-Lehmann 2, 1218 Grand-Saconnex

E-mail: e.gitta@bluewin.ch

www.aeschlicity.ch/rumor_varius

Institutum pecuniarium:

UBS, Zürich-Oerlikon

U. Aeschlimann, RVMOR VARIVS, P7-642.719.0

IMPRESSUM

RVMOR VARIVS wird von der SOCIETATE LATINA HELVETICA, bei den EDITIONS DU LAC herausgegeben. RV est publié par la SOCIETATE LATINA HELVETICA aux EDITIONS DU LAC

RVMOR VARIVS erscheint 6 mal jährlich/paraît 6 fois par an

Auflage/tirage: 300

Abonnementspreise/prix de l'abonnement (jährlich/annuel)

Schweiz/Suisse CHF 27.-

Europa/Europe CHF 32.-

Uebersee/outre-mer US\$ 30.-

Einzelne Probenummern sind gratis erhältlich

Des spécimens peuvent être obtenus gratuitement

Redaktionsteam/équipe rédactionnelle:

Ulrich Aeschlimann, lic. phil. I

Dr. med. W.F. Ebel (AMICVS)

Estelle Gitta

Barbara Maier

Martin Meier

Daniel Weissmann

Grafik und Layout/graphisme et layout: Estelle Gitta

Druck/impression: Gasser Graphische Unternehmung AG, Rapperswil

Expedition/expédition:

Christine Meier-Portner

Verlagsadresse/adresse de la maison d'édition

RVMOR VARIVS, c/o EDITIONS DU LAC,

Estelle Gitta

Ch. François-Lehmann 2, 1218 Grand-Saconnex

E-mail: e.gitta@bluewin.ch

www.aeschlicity.ch/rumor_varius

Bankverbindung/institut bancaire:

UBS, Zürich-Oerlikon

U. Aeschlimann, RVMOR VARIVS, P7-642.719.0

PRÆFATIO

Amicae et amici nostri!

Hoc libello delectationem praecipuam vobis praebere possumus! Amicus noster enim, Nicolaus Gross, Germanus Coreanensis, cuius narrationem in Latinum conversam titulo 'De Thilo custode ferriviae' a Gerhart Hauptmann Theodisce scriptam in prioribus libellis legere potuistis, comoediam historicam a narratore et poeta Helvctico celeberrimo Friderico Dürrenmatt compositam, cui titulus 'Romulus Magnus', ingeniose in Latinum convertit!

Nicolaum Gross opus suum nobis ad publicandum misisse maxime gaudemus. Pluribus de causis dignum et decens mihi videtur eam versionem in nostris commentariis edi: Mense Decembri anni 2000 decennium praeteriit, ex quo Fridericus Dürrenmatt mortuus est. Optime itaque convenit, ut hoc opus in memoriam et honorem poetae appareat. Quid deinde aptius est quam ut illa comoedia, in qua de ultimo imperatore Romae occidentalis agitur, etiam lingua Romanorum, quasi lingua originali, legi possit?

Scilicet non tota comoedia in uno libello RUMORIS VARII divulgari poterit, sed pluribus partibus. Ne nimis spatii intercedat, donec totam comoediam legeritis, singulos libellos, dum 'Romulus Magnus' editur, quattuor paginis augemus, ut in omni fasciculo octo fere paginas 'Romuli Magni' inveniatis. Gaudete igitur et fruimini!

Praeterea iterum aenigma, quo recte soluto praemium accipi potest, in hoc fasciculo solvere poteritis. Et multa alia et varia vobis legentibus occurrent.

Memores sitis, quaesumus, argumenti nostri '**De autocineto**'! Occasione utamini et symbolas vestras, ut in libello 5+6/2001 publicentur, nobis, si fieri possit, usque ad Kalendas Decembres mittatis! Et collegium redactorum et nostri legentes maximas gratias vobis agent! Valete!


Daniel Weissmann



ROMULI MAGNI index verborum rariorum recentiorumve




abligurrire,-io: orig. (ver)prassen (cfr Georges s.v. abligurrio)
absintiatum: orig. zu Wermut geworden
acus,-us f.: **rem acu tangere:** etw. treffend sagen, 'auf den Punkt bringen.'
administer fiscalis: orig. der Finanzminister
alligatura,-ae f.: der Verband (med.)
anacula,-ae f.: orig. die Greisin
apoculare,-o: **se apoculare (PETRON.):** orig. durchbrennen
applar,-aris n.: orig. der Eierlöffel
+archivum,-i n.: orig. das Archiv
asparagus,-i m.: orig. der Spargel
assecuratio *invaliditatis: orig. die Invalidenversicherung
atta,-ae m.: orig. Papa
attatatattae: orig. bibibibi! (soni ad gallinas alliciendas editi)
audientia,-ae f.: orig. die Audienz
baculus +mariscalci: orig. der Marschallstab
belli paratio universalis: orig. die totale Mobilmachung
***botanicus,-i m.:** orig. der Botaniker
+boto,-onis m.: orig. der Knopf
bracae,-arum f.pl.: orig. die Hose
bracatus,-a,-um: 'behost', mit einer Hose bekleidet
branca,-ae f.: orig. die Tatze, Pfote, Pranke
bucco,-onis m. (= maccus,-i m.): orig. der Hanswurst
***Caffares *Zuluani:** orig. die Zulukaffern
caliculus,-i m.: orig. das Gläschen
camerarius,-ii m.: orig. der Kämmerer
caperare,-o: **Ei frons caperat:** Er runzelt die Stirn.
***capitalismus,-i m:** orig. der Kapitalismus
cassis,-idis f.: orig. der Helm (aus Metall)
cauponari,-or,-atus sum: orig. verschachern
cataracta,-ae m./f.: orig. der Katarakt (= deiectus aquae; aquae ex edito desilientes)
cervesia,-ae f.: orig. das Bier




cibi matutini: orig. 'das Morgenessen' (i.e. ientaculum: iocus auctoris).
cohors gallinarum: orig. der Hühnerhof
comestio,-onis f.: orig. das Essen
congeries,-ei f.: omnis ista congeries: orig. der ganze Rummel
coniurati,-orum m.pl.: orig. die Verschwörer
crepare,-o: **crepuit medius:** orig. Er ist krepieri.
cubicularius,-ii m.: orig. der Kammerdiener
cylindrus pergamenae: orig. die Pergamentrolle
decoquere,-o,-coxi,-coctum 3: orig. Bankrott machen / gehen
domicurius superior: orig. der Oberhaushofmeister
emissicius,-a,-um: oculi emissicii: Stielaugen
 alqm. aspectare oculis emissiciis: jn. anstarren
encomboma,-atis n.: orig. die Schürze
escaria,-orum n.pl.: orig. das Essgeschirr
fabricator bracarum: orig. der Hosenfabrikant
false (adv.), falsissime (Superl., AUG.): orig. falsch
formulae sollemnes: orig. Formalitäten
fundulus,-i m.: orig. die Sackgasse
fuscinula,-ae f.: orig. Die (Ess-)gabel
***germanophilus,-a,-um:** orig. germanophil
gerrae! (interiectio): Unsinn, Quatsch!
gladius imperialis: orig. das Reichsschwert
gloriola,-ae f.: der geringe Ruhm, das Bisschen Ruhm
***grapheum,-i n.:** orig. das Arbeitszimmer (des Kaisers), das Büro
gracillare,-o: orig. gackern
habenae bracarum: orig. die Hosenträger
hastas abicere: orig. Defätist sein, die Flinte ins Korn werfen, vorschnell aufgeben
hecatombe,-es f. (abl.pl. -is): orig. die Hekatombe
hortualis,-e: Garten-
humilare,-o, se: orig. sich erniedrigen
id mihi restat mali: orig. das hat mir gerade noch gefehlt
ientaculum,-i n.: orig. das Frühstück
ientare,-o: orig. frühstücken



ignis cubilium: orig. das Lagerfeuer
imago ficta: orig. die Büste
Imperator,-oris m.: orig. der Kaiser
Imperatrix. icis f.: orig. die Kaiserin
imperatorius,-a,-um: orig. kaiserlich
imperialis,-e: orig. kaiserlich, Reichs-
indubitabiliter (adv.): unzweifelhaft
lavo manus meas innocens a sanguine eius: orig. Ich wasche meine Hände in Unschuld.
lento pectore: orig. eiskalt
ligamentum,-i n.: orig. der Verband (med.)
longurio,-onis m.: langer Kerl, grosser, schlanker Mensch
lucratus,-a,-um: orig. lukrativ
lucripeta,-ae m.: orig. der (Kriegs)gewinnler
+ mariscalcus imperialis: orig. der Reichsmarschall
μετα ημας ο κατακλυσμος i.e. post nos diluvium (sc. sequetur): orig. après nous le déluge (locutio Francogallica).
***megalomania,-ae f.:** orig. der Grössenwahn
***miliarda,-ae f.:** orig. die Milliarde
+ milio,-onis m.: die Million
***miliunculus,-i m.:** orig. das Milliönchen
molae Dei molunt lente: orig. Gottes Mühlen mahlen langsam.
morio,-onis m.: orig. der Narr, der Hofnarr
multicolor,-oris: farbig, bunt
navis actuaria: orig. die Brigg
negotiator universalis: orig. ein Weltunternehmen
operarius portuensis: orig. der Hafenarbeiter
organice (adv.): orig. organisch
organicus,-a,-um: organisch
patheticus,-a,-um: orig. pathetisch
perna,-ae f.: der Schinken
***pessimista,-ae m.:** orig. der Pessimist
phy!: orig. Pfui!
pileus laciniatus: orig. die Zipfelmütze



plausitare alis: orig. flattern
procoeton,-onis m.: orig. das Vorzimmer
promutuuum,-i n.: orig. der Vorschuss
proscenium,-ii n.: orig. der Vordergrund, die Vorderbühne
proxeneta,-ae m.: der Makler
quisquiliae,-arum f.pl.: orig. Zimmerlichkeitn (Caesar Runcina, actus I)
raedarius meritorius: orig. der Droschkenkutscher
ratis,-is f.: das Floss
ravus,-a,-um: orig. grau
recessus,-us m.: orig. der Hintergrund
reformatio socialis: orig. die soziale Reform
ronchari,-or,-atus sum (i.q. stertere): orig. schnarchen
Runcina,-ae m.: Caesar Runcina: orig. Cäsar Rumpf
adi. *Runcinarius,-a,-um
sacellum aulicum: orig. die Hofkapelle
semicirculus,-i m.: orig. der Halbreis
semicupa,-ae f.: orig. 'dieser kugelrunde Bauch'. (Sic Aemilianus appellat Caesarem Runcinam)
similitudo,-inis f.: orig. die Nachahmung
sole clarius: orig. sonnenklar
speculator clandestinus: orig. der Spion
status caeli: orig. das Klima
strittare,-o: orig. schleichen
summatim (adv.): orig. en gros
superficialiter (adv.): orig. oberflächlich
tabula: res pervenit ad tabulas novas:
orig. der allgemeine Bankrott der staatlichen Finanzen.
temporibus servire: Opportunist sein, sein Mäntelchen nach dem Wind hängen
Ticinum,-i n.: orig. Pavia
tinea,-ae f.: die Motte
titubare,-o: taumeln, schwanken, wanken
***tricatartum,-i n.:** orig. Dreimaster (i.e. navis tribus malis instructa)
unicolor,-oris: einfarbig
vacatio postmeridiana: freier Nachmittag



VETERA QUIDEM, NON AUTEM OBSOLETA (Prima pars)

I

Dicitur e cerebro Iovis exsiluisse Minerva:
hac laude extolli caelipotens meruit.
Divorum¹ nostri si temporis ast terebrari
possit inane caput, nil, reor, invenias.

1) Id est, actorum scaenicorum et cantorum et ceterorum, qui tamquam Gentilium idola a stolidi plebe adorantur.

II

Iapeti proles passa est tum vincula saeva,
ignis ut humano suppeteret generi.
Si quales faeces tunc iuverit inclutus heros
nunc videat, damnet stultitiam ipse suam.

III

Narrat Aristophanes aciem Plutum illum oculorum
prodigio quodam rursus habuisse sacro.
Esto: sed saeculis iterum amisisse novellis
infelix numen limpida dona patet.

IV

Vita tibi placuit per silvas, casta Diana,
dum captare feras impigra saepe studes.
Ast alias praedas venatrix aemula quaerit
nunc hodierna¹, omni facta pudore carens.

1) Ut par est, ad modernas masculorum captatrices hic spectamus: Ista enim, pro nefas, aliter ac divina Apollinis soror, venatoriam artem et procacem impudicitiam nova mixtura copulare valuerunt. Nihil autem sub sole novi. Iam Ovidius enim suae aetatis puellas leviora docuerat praecepta.

V

Mercurium furum credebant esse patronum
ac mercatorum saecula prisca hominum.
Praeposuit divis aetas nostra omnibus istum,
utpote qua plures fraus mala pelliciat.

VI

Archilochi versu laqueo suspendere sese
impulsum esse malum foedifragum¹ perhibent.
At nullis hodie vim istam liquet poetis:
vix ullas quercus aspiceres vacuas.

1) De Lycambe et eius filiabus mentio hoc loco fit.

VII

Comicus ille pater¹ suboli qui cuncta negabat,
commutat mores effugiens odium.
Oppositis utinam vicibus, nimium genitores
nunc mites, gravius se gerere incipiant!

1) De Terentiano Demea illo loquimur, mutati cuius mores in fabula comica, quae 'Adelphoe' inscribitur, excellenter repraesentantur.

VIII

Illud 'carpe diem'¹ cuncti iam paene sequuntur,
utpote qui solam laetitiam cupiant.
Interdum tamen id iuvenes meditentur oportet
praeclari vatis 'pulvis et umbra sumus'².

1) Horatius, carm. I,11,8

2) Horatius, carm. IV,7,16

Aenigma

QVO PRAEMIVM ACCIPI POTEST! QVODQVE AENIGMA RECTE SOLVTVM
ET RVMORI VARIO MISSVM AD SORTEM REVOCABITVR! DIES VLTIMA
IDIBVS NOVEMBRIBVS EST! SOLVTIONES IN VNO LIBELLORVM
SEQVENTIVM DEMONSTRABIMVS.

PRAEMIA SVNT: primum praemium LIBER
 secundum et tertium praemium LIBELLVS

1. arma Herculis herois (Acc.)
2. ad quoddam lumen caeli pertinens (sg. n.)
3. titulus comoediae Terentii poetae
4. mutet
5. quasi 'maritus' ovis (Dat.)
6. ingredimini

1	2	3	4	5	6
2					
3					
4					
5					
6					



Daniel Weissmann

Proverbia Hispanica

Ni mal sin pena, ni bien sin galardón.

Neque malum sine poena neque bonum sine praemio.

*

Por mal chiste un buen amigo perdiste.

loco malo bonum amicum amisisti.

*

Juntó se el hambre con las ganas de comer.

Coniuncta est fames cum edendi cupidine.

*

Toda comparación es odiosa.

Omnis comparatio odiosa est.

*

No es tan bravo el león como lo pintan.

Leo non tam fortis est, ut pingitur.

*

El gato saca las uñas cuando las ha menester.

Emittit felis ungues, cum eis opus est.

Si para tí eres malo, ¿para quién serás bueno?

Si tibi ipsi malus es, cui eris bonus?.

*

Quien mucho habla, mucho yerra.

Ille, qui multum loquitur, multum errat.

*

Los yerros del médico la tierra los cubre.

Medicorum errores terra tegit.

*

Cada hormiga tiene su ira.

Omnis formica suam iram habet.

*

No hay mejor maestra que necesidad y pobreza.
Non est melior magistra quam necessitas et paupertas.

*

Gasta lo que ganaste, y reserva a tus hijos lo que heredaste.

Expende, quae acquisivisti, et serva filiis tuis, quae hereditatem accepisti.

In Latinum vertit Daniel Weissmann

Quid sit monocordum

Musica est canendi scientia et facilis ad canendi perfectionem via. Qua ratione fieri potest, ut melius quam homo doceat chorda? Facile intellectu. Litterae vel notae, quibus musici utuntur, in linea, quae est sub chorda per ordinem positae sunt. Dumque modulus inter lineam chordamque decurrit, per easdem litteras curtando vel elongando chordam omnem cantum mirabiliter facit. Homo prout voluerit vel potuerit cantat, chorda autem per supradictas litteras a sapientissimis hominibus tali est arte distincta, ut mentiri non possit, cum diligenter fuerit observata. Et dum pueris per ipsas litteras aliqua notatur antiphona facilius et melius a chorda discunt, quam si ab homine illam audirent, et post paucorum mensium tempus exercitati, ablata chorda solo visu indubitanter proferunt, quod nunquam audierunt. Monocordum unius chordae instrumentum est musicum omnium aliorum instrumentorum fundamentum, per quod quia ex proportionibus partium sonantium certissime dividitur, verissime cantus examinatur. Hoc olim eminenter scolares utebantur praecipue canonici et monachi, quia ex quo si recte dividitur sonat infallibiliter. Pueri dissoni se illi conformando in cantu cito fiunt consoni.

Ad hoc instrumentum illud perutile est, ut cantus de quo dubitatur verusve sit an falsus in eo probetur. Itaque pueris adolescentibusque ad musicam aspirantibus adhibeatur, ut ad id quod discere volunt ipsa duce sono facilius pertingant. Adde preaterea quod contra quorundam insulso- rum rebellionem plurimum valet. A manuscriptis monemur: sunt enim plures clerici vel monachi qui artem hanc nesciunt neque scire volunt. Et quod gravis est, scientes fugiunt et abhorrent. Quod si aliquando ut sit musicus eos de cantu corrigat quem non recte, vel non composite effici-

unt, obstrepunt impudenter veritatisque acquiescere nolunt suum quoque errorem summo conamine defendunt. Quos scriptor invitus, ob corripendam tantum stultitiam dicit caecis insipientiores. Hac iniuria aestima verum. Caecus namque quod in se non habet extrinsecus quaerit ductum videlicet hominis aut baculi sicque sibi providet ne in foveam cadat. Cum ergo huiusmodi inutiles quos Graeci pulchre energumenos vocant, neque per se videant, neque videntium ducatu incedere contendunt, ad horum utique ut diximus obstinationem confutandam, monocordum apponitur ut qui verbis musicae credere nolunt ipsius soni attestazione facilius convincantur.

Revera monocordum est lignum, quadratum, ad instar capsae dispositum, et intus concavum in modum citharae super quod posita chorda sonat, cuius sonitus, varietates vocum facillime perdocet et declarat. Et luce clarius patet monocordum ab unitate chordae nominari in quo siquidem monocordo in longum per medium eius linea recta ducitur et relicto ab utraque parte, ad quantitatem unius unciae spatio in eadem linea, ab utraque parte punctus ponitur, qui locum stephanorum seu statuncularum observabit. In relictis vero spatiis, duo capitella collocantur, quae ita chordam super lineam suspensam teneant ut tanta sit chorda in utraque capitella, quanta et linea quae est sub corda, quae quidem chorda, secundum varietates vocum resonabit. Hoc scilicet modo, quod secundum mensuram et partitionem monocordi, infra dandam, litterae vel notulae musicae, de quibus sufficienter supra dictum est, super lineam quae est sub chorda conscriptae statunculas seu modulus sub chorda componendos docebunt. Sic scilicet quod sub qualibet littera infra chordam, modulus seu statuncula subponatur, dumque chorda rigore aeneo vel alio instrumento ad hoc facto concutitur et digitus manus sinistrae per eosdem modulus discurret, secundum varietatem litterarum, ascendendo vel descendendo, magis vel minus, secundum cantilenae congruitatem in eadem chorda nedum unum quin immo omnem cantum invariabiliter decantabis.

Monocordum componere vis. Hoc pacto constitues. Accipias tabulam tenuem, levigatam, qualis in fidibus et psalteriis est ea super quam chordae tenduntur appellaturque ab opificibus illorum instrumentorum tectum, quae habeat in longitudine pedes tres, in latitudine vero pedem dimidium, per cuius medium secundum longitudinem ducas lineam rec-

tam. Deinde in eiusdem lineae extremitatibus signes puncta duo, unum ad sinistram, alterum vero ad dexteram, hoc tamen peracto ut utrumque eorum a fine lineae, quem respicit, distet duorum digitorum spatio. Intra punctum quod est versus sinistram supra lineam longitudinis gamma litteram, id est «G» Graecum, pone. Quae quia raro est in usu a multis non habetur. Ab ipsa gamma usque ad punctum, quem in fine posuimus, per novem divide diligenter, et ubi prima nona pars finem fecerit, prope gamma «A» litteram scribe. Et haec dicetur vox prima. Ab eadem prima similiter per novem usque ad finem divide, et in nona parte «B» litteram pro voce secunda appone. In omni autem divisione, id est sive per novem sive per IV^{OR} sive per III sive etiam per II sicut modo fecisti usque ad finem divide et in primae partis termino scribe. Deinde ad caput revertere, et divide a gamma per IV^{OR} et pro voce III^a «C» litteram scribe. A prima similiter per IV^{OR} partire et pro voce IV^{ta} «D» litteram pone. Eodem modo a secunda dividens invenieris quintam «E» litteram depictam. A tertia quoque quadrata sextam insinuat «F». Post haec ad gammam revertere, et ab ipsa et ab aliis per ordinem, quae secuntur praedictam lineam in duas partes, id est per medium divide, usque habeas voces quindecim absque gamma. Et dum voces per medium divideris dissimiles, sed easdem litteras facere debebis. Verbi gratia, dum a gamma per medium dividis, pro gamma scribe «G» et pro «A» mediata, pone similiter «a». Similiter quoque et pro «B» aliam «b» et pro «C» aliam «c» et pro «D» aliam «d» et pro «E» aliam «e» et pro «F» aliam «f» et pro «G» aliam «g» et pro «a» aliam «a^a» ut a mediaetate monocordi sic in antea hae eadem sint litterae, quae sunt et in parte prima. Praeterea a voce sexta «F» per IV^{OR} divide, et retro «b» secundam aliam «b» pone, quae ambae pro una voce accipiuntur, et una dicitur nona prima, altera nona secunda, et utraque in eodem cantu regulariter non invenietur. Sunt ergo et voces et litterae per ordinem ita:

I	II	III	IV	V	VI	VII	VIII		x	xi	xii	xiii	xiv	xv
Γ	A	B	C	D	E	F	G	a	b	c	d	e	f	g
									b	c				
									prima	secunda				
									nona	nona				

Haec rettulit Stella GITTA partim manuscripto 18845 «Phillips» nuncupato in *Bibliotheca Bodmeriana* (Genavae) servato nixa, i. e secundum opus c. t. est «Dialogus de musica» verisimiliter a Odoranno Senonico conscriptum.

Quattuor carmina a Christiano Morgenstern composita Latine reddita

De mure

Mus rubro uno oculo
e terra spectat cupido.

Qui per auroram luctitat,
et cor pulsare incohat.

«Cor cuius?» Meum, ecce, cor!
Nam ante murem collocor.

Sis memor muris, anima!
Sunt plena mali omnia!

De duobus asinis

Uxori dixit asinus
sinister et nigerimus:

«Sum stultus, etiam stulta es,
est mori nostra sola spes.»

Sed - ut haec saepe acciderunt -
vivendo laeti perrexerunt.



De terra nave

«Nauarchum», virgo, «videam!»,
clamavit magna voce iam.

«Non fiet», ei dicitur,
«a te is numquam specitur!»

Furoris plena femina:
«Cui haec et ista latita!»
In navem furens exspuit.
Navigium est terra id.

De bove petrae

Bos petrae caput agitat,
ut vires quisque videat.
Te cito cornu captitat
et citius te perforat.
Vae!

Bos petrae montes incolit
et, cui occurrit, minuit.
Plerumque - hoc innotuit -
humanas mentes comedit.
Vae!

Bos petrae dis est similis,
quod caro non perditibilis.
Nos pulvis, is saxatilis!
Et tu bos petrae esse vis?
Hae?

«Maiorem fidem homines adhibent iis, quae non intellegunt» (M. E. de Montaigne, Essais, 3, 11)

Vobis proposuit Estelle GITTA

Anno 1546 egregie oculatissimo Fuchsio* fucum fecit muliercula, Ioannis Ulmeri civis Esslingensis filia Margarita. Illa ex ventris, quos dicebat, doloribus adeo intumuerat, ut ventris moles totam faciem obtegere ac in circumferentia decem palmas excedere videretur. Obtendebat se diversi generis animalia in eo alere, cum interim odoribus tantum delicatioribus se recreari citra cibum alium diceret. Audiebantur a lectum circumstantibus gallorum cantus, gallinarum glocitationes, anserum strepitus, latratus canum omnium denique agrestium animalium voces. Eduxit mirae magnitudinis vermes atque serpentes ex latere circiter centum quinquaginta, quo miraculo fidem faceret. Consulti sunt medici atque chirurgi multi novissime Leonardus* quoque noster accesserat. Denique Caroli V. Imp. et Ferdinandi Romani et Ungariae regis in comitatu aliquot nobilium advenerant, viderant, audiverant et miraculi raritate attoniti, nihil fuci subolentes discesserant. Cum paene quadriennium morbus durasset et fraus familiam proficue aluisset, a puero tandem detecta est, qui nemine advertente aciculam ventri puellae infligens, cum adverteret doloris sensum nullum edere, suspicionem fraudis primus domi suis aperuit, et erat hoc vere rem acu tangere. Monitus ea de re magistratus medicum chirurgis tribus ac obstetrice comitatum repente submisit, ut puellae alvum sectione aperirent. Reluctandi detrahunt tegmina et ventrem magno artificio manibus factum detrahunt, qui scenas illas comicas machinarum ope ad nutum repraesentaret. Impostura rogo in matre praestigiastice vindicata est, in filia genarum inustione et carcere perpetuo.

Narrat rem Menandri in locoseriis sed accuratius multo Martinus Crusius.

• Diurnariis factis, licet vobis medicum Leonardum Fuchsium interrogare. Hoc in ludo idem pictogramma semper eidem litterae respondet. Titulus eius operis litteris in areis umbratis restituendus est.

1. Quo anno Wemdingae natus es ?
2. Patre cum annum ageres aetatis quintum orbatum legimus. Patrem habuisti ex patre consulari eiusdem nominis genitum. Quod est praenomen eius ?

3. Parentes boni probique te optime institui et ad religiosam pietatem erudiri cupiebant. Itaque primis infantiae annis vix elapsis, cum pueritiae succederent a matre in ludum deductus es. Quod est praenomen et matris tuae et primae uxoris tuae ?
4. Primum igitur studiorum tempus in patria consumpsisti; ingenii acumen tui tamen iam inde elucebat, ut spem maximi progressus iam tum praeberet omnibus amplissimam. Anno aetatis decimo in ludum litterarium, prae ceteris fama magis inclutum, missus es. Quo iter fecisti ?
5. Ibi annum unicum egisti et balbutire autorem didicisti. Qualem ?
6. Inde Erfurdiam Thuringiae petivisti. Ibi discendi artes et varia poetarum genera magna diligentia et fructu percepisti. Annum et sex menses sub hac disciplina substitisti. In publicam itaque eiusdem civitatis academiam te contulisti, in qua exiguo tempore tantum in litteris profecisti, ut renuntiareris et aptus ut iam alios docere inciperes. Qui est ille gradus academicus ?
7. In patriam reversus, quid fecisti ?
- Coepi aperire.....
8. Cum studium discendi ardens te urgeret, ne diutius in utili quidem sed humili tamen paedotribae officio delitesceres, sed ad maiora, quibus natum te interno quodam stimulo sentiebas, clauso ludo Ingolstadium ad ampliorem ingenii cultum capiendum profectus es. Quo anno ?
9. Quales litteras hac vice didicisti ? Litteras.....
10. Quem titulum academicum anno 1521 assecutus es ?
- Factus sum bonarum artium.....
11. Non sat fuit. Cui arti perdiscendae operam dedisti ?
- Ars.....
12. Quotidiano labore doctrinam tuam paucis annis ita auxisti, ut solemnitu honores, quos doctorios vacant, anno 1524 Kalendis Martiis fueris consecutus. Quod est nomen praeceptoris tui ?
13. Tum submittebantur clam libelli Ingolstadium, quos quo quis erat doctior, quod ignorantiae videbantur bellum indicere, eo avidius legebat. Quod est nomen illius scriptoris quocum sentis ?
14. Quo te contulisti ad medendi artem exercendam ? Hac in urbe etiam primam uxorem tuam duxisti.

15. Anno 1529, cum artem medendi Onolspachii exerceres, novum morbi genus Germaniam invasit, quod vulgo dicebatur sudor.....
Crevit fama tua.
16. Qui Lovanii litis arbitros doctores Parisienses constituens, tecum anno 1532 disceptationem de missione sanguinis in pleuritide suscepit. Ab eo etiam cum Manardo, Curtio et Brisotto anno 1539 in haeresis suspicionem in publico eruditissimorum virorum consessu vocatus es. Quod est nomen eius ? Hieronymus.....
17. Anno 1533 ad docendam medicinam Ingolstadium vocaris, sed cum Lutheranum dogma palam profitereris, docendi munere fungi non potuisti. Circa illud tempus dux Wyrtembergicus, recuperata dicione, de restauranda academica sua cogitare coepit. Vocatus condicionem illius accepisti. At quod est praenomen ducis ?
18. Anno 1535, quo pervenisti et munus tuum auspicatus es, postquam prius academiae, more maiorum, nomen tuum intulisses ?
19. Ibi cum in festo D. Lucae pro more magistratus academicus renovaretur, ab institutione scholae illius centesimum septimum ad.....
..... pervenisti.
20. Anno 1538 nescio quo taedio captus de loco et vitae genere mutando consilia agitavisti; nempe relicta scholastica vita, de qua cogitare coepisti ? de.....
21. Animum mutavisti. Anno 1540 filium tuum academico albo inscribi curavisti. Quod est praenomen eius ?
22. Anno 1542 urbe discessisti, quam morbus invaderet. Qui morbus ?
23. Cum ultra spem omnium contagio serperet et in integrum fere biennium protraheretur, medicinae studiosis aliquot, qui in fuga fuerant secuti, petentibus aphorismos Hippocratis explicare coepisti. Quo eos anno 1544 Oporino edendos remisisti ?
24. Quod est nomen amici tui, qui ignotus Tubingam veniens te e cathedra docentem audivit, cum discipulis quaedam ex opere eius anatomico explicares et eius sententiam erroris argueres ?
25. Quod est praenomen imperatoris, qui praeclaris viri in humanam salutem meritis excitatus, insignia et ornamenta nobilitatis, tibi non petenti et recusanti etiam obtulit ?

TITULUS OPERIS	
→	=
~	=
○	=
⌒	=
≡	=
☐	=
X	=
☐	=
*	=
X	=
X	=
X	=
☐	=

ROMULUS MAGNUS

Friderici DÜRRENMATT (1921-1990) Helvetii narratoris et comoediographi ingeniosi ROMULUS MAGNUS («Romulus der Grosse») comoedia historica fidei historicae contraria quattuor actibus scripta, anno 1948 primum acta, annis 1958 et 1964 retractata, anno 2000 a Nicolao GROSS Germano Coreanensi in Latinum conversa.

Hanc versionem Latinam dedico Professore Bosco SEONG (i.e. SEONG Youm) Coreano philosopho et philologo de Latinitate Coreanensi optime merito.

INTERPRES

Illa ars magna, qua res paululum a veritate differentes habeamus pro veris, in qua positus est totus calculus differentialis, causa quoque est facetiarum nostrarum, quae saepe penitus tollerentur, si differentias considerarem cum ri-gore philosophico.

LICHTENBERG.

Comoediae pars prima

Dramatis personae.

Romulus Augustus	<i>Imperator imperii Romani occidentalis</i>
Iulia	<i>eius uxor</i>
Rea	<i>eius filia</i>
Zeno Isaurus	<i>Imperator imperii Romani orientalis</i>
Aemilianus	<i>patricius Romanus</i>
Mavors	<i>administer publicus belli gerendi</i>
Tullius Rotundus	<i>administer publicus rerum domesticarum</i>
Spurius Titus Mamma	<i>praefectus equitum</i>
Achilles	<i>famulus cubicularius</i>
Pyramus	<i>famulus cubicularius</i>
Apollyon	<i>mercator imaginum fictarum</i>
Caesar Runcina	<i>negotiator industrialis</i>
Phylax	<i>histrion</i>

Theodericus	<i>eius nepos e fratre</i>
Phosphorides	<i>camerarius</i>
Sulphurides	<i>camerarius</i>
coquus, famuli, Germani	

Tempus: a mane diei 15ⁱ usque ad mane diei 16ⁱ, anno quadringentesimo septuagesimo sexto post Christum natum

Locus: villa Imperatoris Romuli in Campania sita

ACTUS PRIMUS

NUMERATUR ANNUS QUADRINGENTESIMUS SEPTUAGESIMUS sextus, cum multo mane aliquo mensis Martii praefectus Spurius Titus Mamma equo depereunte assequitur sedem Imperatoris aestivam in Campania sitam, quam Maiestas hieme quoque inhabitat. Praefectus aegre et laboriose desilit, inquinatus, eius bracchium sinistrum alligatura sanguine oblita involutum est, pedem offendit, fugat immensa agmina gallinarum gracillantium, properat, quia neminem invenit, per villam, denique intrat grapheum Imperatoris. Primo obtutu ei hic quoque omnia videntur vacua vastaque. Paucae tantum sellae, vacillantes, semirutae, in parietibus fictae imagines venerabiles virorum rei publicae praepositorum, doctorum, poetarum historiae Romanae. Omnes vultibus paulo nimium gravibus ...

SPURIUS TITUS MAMMA: Heus! Heus!

Silentium. Tamen praefectus denique ab utraque ianuae parte, in recessus loco medio, animadvertit duos famulos cubicularios, canutos, tam immobiles quam statuas, Pyramum et Achillen, ex annis officio Imperatorum fungentes. Praefectus eos defixis oculis aspectat, aspectu venerabili stupefactus.

SPURIUS TITUS MAMMA: Heus!

PYRAMUS: Quiescas, iuvenis.

ACHILLES: Quisnam es?

SPURIUS TITUS MAMMA: Spurius Titus Mamma, praefectus equitum.
PYRAMUS: Quidnam vis?
SPURIUS TITUS MAMMA: Oportet colloqui cum Imperatore.
ACHILLES: Esne nuntiatuſ?
SPURIUS TITUS MAMMA: Non vaco formulis ſollemnibus. Ticino attuli nuntium malum.
Cubicularii unus alterum aspectat cogitabundus.
PYRAMUS: Malum nuntium Ticino.
Achilles caput concutit.
ACHILLES: Ticinum minus valet, quam ut hic nuntius ſit vere malus.
SPURIUS TITUS MAMMA: Corruit Imperium Romanorum mundanum!
Sui non compos eſt, quia illi ſunt tam quieti.
PYRAMUS: Quod fieri non poteſt.
Achilles iterum caput concutit.
ACHILLES: Tanta negotiatio, quanta eſt Imperium Romanum, non penitus poteſt corruere.
SPURIUS TITUS MAMMA: Germani veniunt!
ACHILLES: Qui iam veniunt ex quingentis annis, Spuri Tite Mamma.
Praefectus Achillen cubicularium comprehenſum percutit tamquam columnam marcidam.
SPURIUS TITUS MAMMA: Postulat pietas mea in patriam, ut colloquar cum Imperatore! Statim!
ACHILLES: Nos non putamus optabilem eſſe amorem patriae, qui abhorreat ab urbanitate.
SPURIUS TITUS MAMMA: O Deus !
Animo depreſſo mittit Achillem; nunc a Pyramo placatur.
PYRAMUS: Sinas me aliquid ſuadere, iuvenis. Si te contuleris ad magiſtrum Aulae ſuperiorem, nomen tuum inſcripſeris indici advenarum, rogaveris adminiſtrum rerum domesticarum, ut tibi concederet Aulae transferre nuntium gravem, fieri poterit, ut nuntium tuum transferas Imperatori fortasſe ipſe praesens proximis diebus ſequentibus.

SPURIUS TITUS MAMMA: Eheu Romam miſerrimam! Periisti duobus cubiculariis!
Qui desperatus cursitat ſinistrorsum, illi iterum ſtant defixi.
ACHILLES: Conſternatus animadverti procedente ſaeculo mores depravari.
PYRAMUS: Nos qui despicit, ſepelit Romam.
Per ianuam inter cubicularios ſitam exit Imperator Romulus Augustus. Toga purpurea, in capite corona laurea. Maiestas plus quinquaginta annos nata, quieta, iucunda, liquida.
PYRAMUS ET ACHILLES: Salve Caesar.
ROMULUS: Salvete. Suntne hodie Idus Martiae?
ACHILLES: Ut iubes, mi Imperator, Idus Martiae.
Qui caput inclinat.
ROMULUS: Haec dies valet ad hitoriam. Lege ſanctum eſt, ut hac die ſalaria ſolvantur omnibus magiſtratibus et officiariis Imperii mei. Subeſt vetus ſuperſtitio. Fit, ne Imperator interficiatur. Adducite adminiſtrum ſcalem.
Achilles eius auribus aliquid inſusurrat.
ROMULUS: Aufugit?
PYRAMUS: Cum fiſco publico, mi Imperator.
ROMULUS: Curnam? Nihil infuerat.
ACHILLES: Ne quis videret rem iam pervenisse ad tabulas novas.
ROMULUS: En virum prudentem. Si quis vult velare ſcandalon maius, oportet efficiat minus. Illi imponatur nomen Servatoris Patriae. Ubi nunc verſatur?
ACHILLES: Syracuſis ſuſcepit munus procuratoris vini exportandi.
ROMULUS: Speremus illum magiſtratum fidelem commercio privato ſe recreare poſſe ex detrimentis officii publici. En accipite!
De capite deponit coronam lauream, duo folia defringit illisque tradit.
ROMULUS: Uterque folium ſuum laureum ſinat ſeſtertiis pemitare. Sed reddite mihi pecuniam debita ſumma deducta. Qua merces mihi dandast

coquo, viro Imperii mei omnium gravissimo.
PYRAMUS ET ACHILLES: Ut iubes, o Imperator.
ROMULUS: Cum imperare inciperem, huic coronae aureae infuerunt folia triginta sex, nunc quinque tantum.
Coronam lauream cogitabundus aspectat capitique imponit.
ROMULUS: Affer cibos matutinos.
PYRAMUS: lentaculum.
ROMULUS: Cibos matutinos. In domo mea praescribo egomet ipsis sumus, quae sit classica Latinitas.
Vetulus mensulam infert, cui insunt cibi matutini. Primum perna, panis, vinum asparagi, lanx lactis, ovum pocillo impositum. Achilles affert sellam, Imperator considit, ovum pulsando aperit.
ROMULUS: Augustusne nullum ovum peperit?
PYRAMUS: Nullum, mi Imperator.
ROMULUS: Tiberiusne?
PYRAMUS: Iulii nullum.
ROMULUS: Num Flavii?
PYRAMUS: Domitianus. Sed ex eius ovis Maiestas expressis verbis nullum comedere desiderat.
ROMULUS: Domitianus fuit Imperator malus. Qui ova pariat quotcumque, non comedam.
PYRAMUS: Ut iubes, mi Imperator.
Maiestas ovum applari exedit.
ROMULUS: Hoc ovum cuius est?
PYRAMUS: Marci Aurelii, ut solet.
ROMULUS: En probam gallinam. Ceteri Imperatores nihil valent. Aliusne peperit? PYRAMUS: Odoacerus.
Cuius rei eum paululum pudet.
ROMULUS: Ecce eum.
PYRAMUS: Duo ova.
ROMULUS: Babae. De gallina mei nominis nihil scis referre?

PYRAMUS: Quae est bestia nobilissima et docilissima omnium, quas possidemus, animal volatile educationis Romanae excellentissimum.
ROMULUS: Num parit hoc animal nobile?
Pyramus Achillem aspicit opem rogans.
ACHILLES: Paene, tua Maiestas.
ROMULUS: Paene? Quid hoc sibi vult? Aut parit gallina aut non.
ACHILLES: Nondum, mi Imperator.
Maiestas manum movet prompta.
ROMULUS: Omnino non. Quae non est apta, apta erit ad sartaginem. In futuris autem in mensa mea matutina velim inveniam ova gallinae Odoaceri, quam diligo ex animo. Patet eam esse mirabiliter ingeniosam. E Germanis, si quidem venient, oportet accipiamus omnia bona quae pariunt.
A sinistris facie lurida irruit Tullius Rotundus administer publicus rerum domesticarum.
TULLIUS ROTUNDUS: Maiestas!
ROMULUS: Quid vis ab Imperatore tuo, Tulli Rotunde?
TULLIUS ROTUNDUS: Horribile dictu! Formidabile!
ROMULUS: Ah, scio, mi care administer rerum domesticarum, ex duobus annis tibi non solvi salarium, sed hodie, ubi solvere volueram, se apoculavit administer cum fisco publico.
TULLIUS ROTUNDUS: Res nostra est calamitosior quam ut quisquam cogitet de pecunia, mi Imperator.
Maiestas lac bibit.
ROMULUS: Si itast, res etiam bene successit.
TULLIUS ROTUNDUS: Spurius Titus Mamma praefectus equitum equo admisso equitavit per duos dies duasque noctes, ut Ticino Maiestati tuae afferret nuntium.
ROMULUS: Per duos dies duasque noctes? Babae. Qui ornetur dignitate equestri, quod praestitit tantam rem athleticam.
TULLIUS ROTUNDUS: Statim adducam Spurium Titum Mammam equi-

TULLIUS ROTUNDUS: Non multum abest, quin concidant eius corpus et anima.

ROMULUS: Si itast, duc eum in conclave convivarum omnium quietissimum. Athletis quoque dormiendumst.

Administer rerum domesticarum stupefactus est.

TULLIUS ROTUNDUS: At habet nuntium, Maiestas!

ROMULUS: Itaque. Atrocissimus quoque nuntius satis iucunde sonat ex ore viri recenter balneati et rasitati et bene pransi. Veniat cras.

Nicolaus Gross
Germanus Coreanensis

Comoediae altera pars in proximo libello sequetur !

Solutio Iudi «Ranaria» a Stella Gitta propositi divulgate in paginis 34-35 libelli RV 138 (2/01)

Rana I : «[Novissime indignata], dum vult validius
inflare sese, rupto iacuit corpore».

Scriptor I : Phaedrus

Rana II : «Cum maiore minor conferri desinat, et se
consulat, et vires temperet ipse suas».

Scriptor II : Gualterius Anglicus



Verba invenienda

1 Proca	6 Fabius	11 Lutatius	16 Coriolanus
2 Brutus	7 Regulus	12 Scaevola	17 Cincinnatus
3 Cicero	8 Pompeius	13 Curiatii	
4 Nasica	9 Lucullus	14 Cleopatra	
5 Cocles	10 Claudius	15 Faustulus	

Subnoto RV, ut ipse accipiam
(Ich abonniere RV für mich selber)

Subnoto RV DONO DATUM ei, cuius
inscriptio cursualis supra indicata est
(Ich abonniere RV als Geschenkabonne-
ment für jemanden, dessen Adresse oben
angegeben ist): -----

Factura subnotationis mittenda est ad inscrip-
tionem cursualem infra indicatam (Die Abonne-
mentsrechnung ist zu senden an):

Ort, Datum: _____

Unterschrift: _____

Hier bitte
frankieren

RVMOR VARIVS
C/o EDITIONS DU LAC
Estelle GITTA
Ch. F.-Lehmann 2
1218 Grand-Saconnex


PP/Journal

4702 Oensingen

3/2001

KALENDIS NOVEMBRIBUS

MMI



TOMVS 24

FASC. 139